



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 190. Elbingensium cum Episcopo Varmiensi Controversia de Parochiali civitatis Templo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CXC.

*Elbingensium cum Episcopo Varmi-
ensi controversia de Parochiali
civitatis Templo.*

Jam superioribus annis exorta erat inter Sigismundum Steinsonium Parochum, & Senatum civitatis Elbingensis in Prusia Polonica, ingens de Templo Parochiali controversia; cum vero Sigismundus Poloniæ Rex prævalente Sectariorum pertinacia Elbingenses ad officium per mandata sua reducere haud posset, eos tandem publico proscriptionis edicto coercere cogebatur. Horum calamitatem misertus Simon Rudnichius Varmiensis Episcopus inter præfatum Parochum & Senatum Heilsbergæ conventum haberi voluit, ac inter cetera concordiæ media proposuit, aut integram veteris urbis Parochiam Parocho esse relinquendam, aut occupata novæ civitatis Parochia, in veteri insuper urbe Templum novum esse extruendum. Præplacuit prima transactionis via, conventumque, ut Parochus solo veteris urbis Templo contentus esset, iis tamen conditionibus, I. Rex petente Episcopo caveat, ut hæc cessio privilegiis circa reliqua Tempora non sit præjudicio. II. Episcopus impetra-
ta

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

ta proscriptionis relaxatione, & dam-
 norum compensatione, juri suo in Tem-
 plum novæ civitatis renuntiet. III. Ci-
 vilitatis Magistratus non impediatur, ne
 Catholici Sponsi proclamantur, nec vi-
 cissim Parochus quicquam contra jus
 civitatis molitur. IV. Nec Sepulcra
 violentur, nec loco moveantur, atque
 in Templo Parochiali & in una parte
 cæmeterii, sepeliantur soli Catholici,
 in altera vero parte Lutherani, simul-
 que Magistratus de alio magis capaci
 loco Catholicis prospiciat. V. in exe-
 quiis infans Parocho campanæ non pul-
 sentur. VI. nullæ supplicationes extra
 cæmeterii Parochialis fines fiant, libe-
 rum tamen sit Catholicæ Religionis ex-
 ercitiū neque deportatio Sacramenti
 ad infirmos, nec funerum pompa impe-
 diatur. VII. a scomatibus & injuriis
 in Concionibus absteatur, pœna ut-
 rinque constituta. VIII. Sacerdotes
 sæculares, non autem Religiosi functio-
 nes Ecclesiasticas peragant. IX. Sup-
 pellex Sacra pretiosior a Senatu custo-
 diatur, Parocho petenti semper com-
 municanda: quotidiana autem, sicut
 & Bibliotheca Parocho committatur.
 X. Templi reparatio a Magistratu fiat.
 Hæc transactionis capita utrinque sub-
 scripta, ac sigillis munita Sigismundus
 Poloniæ Rex suo quoque consensu, at-

Hist. Eccles. Tom. LV.

U u que

Sæc. XVII. que auctoritate die decima quarta Junii
A. C. 1617. anno priori firmabat: infecundo tamen
 articulo ad præfatam renuntiationem
 simul omnium Regni Ordinum consen-
 sum esse requirendum declarabat: ad
 nonum vero adjunxit, quod Catholici
 a cura Templi non excludantur, nec
 non claves ad omnem Ecclesiæ suppel-
 lectilem etiam Parochus habeat.

§. CXCI.

*Ordo Fratrum Joannis de Deo in-
 stitutus, Et ille Scholarum pia-
 rum a sede Apostolica ap-
 probatus.*

*Franc. Ca-
 strovit. S.
 Joann. de
 Deo Bullar.
 Magn. Const
 101. Et 103.
 Pauli V.*

Hoc item anno Congregatio Fratrum
 Joannis de Deo ad suscipiendos &
 fovendos pauperes infirmos etiam Ro-
 mæ instituta est. Hic Ordo jam a Pio
 V. Constitutione, quæ incipit: *licet ex
 debito* &c. Anno Domini millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo secundo sub Re-
 gula Sancti Augustini confirmatus fuit,
 & Paulus V. hoc anno die decima ter-
 tia Februarii hanc Congregationem in
 veram Religionem sub tribus votis so-
 lemnibus erexit, & die decima quinta
 Aprilis Apostolico diplomate, cujus
 initium est: *Ea, quæ pro* &c. ejusdem
 Constitutiones pro prospero hujus Con-
 grega-